Regina Sapien    +    Anima xri sanctifica me
Corpus xri

Regina sapientiſsima



Literas S. Maies.tis v.rae certè unanimi charitum conspiratione exaratas ea cura et fide qua par erat, D. Macedo propriis [meis] manibus consignauit, quas mox atque aperui, nescio qui benignitatis atque clementiae radij ita pectus meum perstrinxerunt; ut qui eas sustinerem, ignorarem; eas itaque iterum iterumque prae reuerentia, atque exuberantis animi laetitia, quin et prae cordis intimi affectus teneritudine exosculatus sum. non inter postrema felicitatis [meae] τεκμήρια reponens inter [tantos] tantae Reginae seruos locum etiam minimum obtinere. merito itaque [illegible] dictus D. Macedo eximium admirandarum Maiestatis uestrae uirtutum in hoc Romano orbis compendio buccinatorem agit; atque adeò apud Proceres et Primates sapientiae suae fama percrebuit, ut multi ea excitati, uel ad ultimam etiam Thulen (si per religionis dissidium id aut liceret, aut Septentrionis non obstaret horror) ad uidendam atque contemplandam rediuiuam illam huius seculi Sabam conferre se, non erubescerent. Hoc unicum dolent, iubar tam diuinum, solem tam fulgidum, quem ad uniuersi collustrationem in mundi meditullio collocari oportebat, nescio quam iniquam sortem, maiori meliorique Europae portioni inuidiſse.. Nouerit autem S. M.tas V.ra Societatem nostram non tantum, ei ut par est, intimè affectam esse, sed et raros illos sublimesque caelestium dotium thesauros, quos [illegible] bonitas cordi eius recondidit, cumprimis et prae caeteris omnibus reuereri, suspicere et admirari, potiſsimum in hoc Romanae Societatis nostrae Collegio, tum uiris scriptoribusque celeberrimis tum [Tyronibus] iuuenibus ex omnibus mundi nationibus conflatis; [ubi] loquimur 35 diuersis et natiuis linguis partim Europae Africae et Asiae, partim Indiae et Americae peculiaribus; atque hi omnes fama sapientiae maiestatis uestrae agitati, et nescio quo magnetismo sympathico tracti, in hoc unico ambitiosi uidentur ut tam insolitum uirtutum omnium exemplar, quod M. V. [mundo] exhibet dignis [uirtutis] coloribus depingant.

[illegible] unanimi consensu fatentur, [illegible] quia diuina prouidentia Maiestatem uestram ad [illegible] quodpiam [illegible] destinauerit [illegible] Virginis et Heroinae [illegible] cordis [illegible] Septentrionali [illegible] Sunt haec [illegible] diuini Numinis [illegible] Sapientissimi [illegible] Reginis [illegible]

Et tu [illegible] omnes qui [illegible] [illegible] Roma [illegible] [illegible] [illegible] nostrum [illegible]

[illegible] cordis [illegible] in omnibus [illegible]

Quod porrò M. V. rerum mearum statum [avidè] desideret, faciam quod iussit, idq paucis.
Nouerit itaq, totum me ab anno [toto] detineri ad luci publicæ sistendum Oedipum Ægyptia=
cum, idest uniuersalem hieroglyphicæ Veterum doctrinæ instaurationem trium tomorum
opere comprehensam, quod et Maiestatis uestræ glorioso Nomini iam dudum inscribere=
dum ambieram. Verum [dū] à triennio ferè Regiæ M.tis V.ræ expressam uoluntatem exspectarem
neq Palbitius noster ad literas meas [quicquam] nihil responsi pendebatam altum silentium meriti
aut M.tem V.ram omnem [sui] de antiquo affectu animum remisisse, aut operam meam minus fortassis
gratam [ibi] fuisse, suspicionem mouit. Exiuerat eodem tempore Summi Pontificis iussu Obe=
liscus Pamphilius, qui maiori quam sperare poteram, applausu à Lit. Rep. exceptus,
dum ex omnibus Europæ partibus ad operis continuationem sollicitor, Mecænasq tam
sumptuosi operis deesset, tandem S. Cæsarea Maiestas de difficultatis remora certior
facta, operis [opere dignata] suscepit patrocinium, atq magnificentia sane Cæsare dignissima operi la=
boranti obstetricantes manus porrigens in lucem dedit, cuius iussis non parere nefas duxi.
Fatis itaq sic ferentibus, cum M.ti V.ræ dicti operis dedicatione gratificari non licuerit,
aliud opus forsan nec mole, nec rerum excellentium notitia, [Oedipo caedens] quod Mundum Subterraneum
intitulo, siquidem ita M.ti V.ræ placere cognôro, firmiter destinaui. Ne tamen et in opere
Cæsario M. V. debito honoris titulo præteriretur, unum è 12 Obeliscis, quos interpretor,
eius glorioso nomini inscribendum duxi, ad meam erga M. V. propensi animi uoluntatem
testificandam. Atq hæc sunt, quæ M. V. indicanda existimaui. porrò nihil restat, nisi ut
me regia fauoris sui clementia prosequi non omittat. Vale sapientiæ oraculum, Saba
rediuiua, omnium virtutum [unica] prototypon. humani generis delicium.

me si Regina tuis valeto iussis
sublimi feriam sidera vertice

Romæ 11 Nouemb. 1651.

S.æ M.tis V.ræ

Seruus humillimus

Athanasius Kircher

Litera ad Reginam Suetiae

Responsio Reginae Suetiae missa.

Anima X[ri]sti sanctifica me